

**Dissertatio medica inauguralis de dyspepsia ... / eruditorum examini  
subjicit Timotheus Curtin.**

**Contributors**

Curtin, Timothy.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebant Abernethy & Walker, 1819.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/erhfv7b2>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIO  
INATURALIS

DE  
DYSPEPSIA

AVTHORE  
D. GEORGH BAILEY  
MEDICINAE DOCTOR

ANPLINUM SENATUS ACADEMICI  
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS

PER GRADUM

RECTORIS IN MEDICINA

AD HOC

RECTORIS

TIMOTHEUS

PHILOSOPHUS

PROFESSOR

Et melius in vobis; non enim  
Qua alia citraque regna  
Hoc.

Edinburgi, Augusti, 1819.

EDINBURGH  
RECTORIS ABERNETHY

1819.



(4.)

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA ;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI ;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,  
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICAE DECRETO ;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

TIMOTHEUS CURTIN,

Hibernus,

SOCIETATIS PHYSICAE REGIAE EDINENSIS SOCIUS EXTRAORDINARIUS.

---

*Est modus in rebus ; sunt certi denique fines,  
Quos ultra citraque neque consistere rectum.*

HORAT. Sat. I. 2. 106.

---

*Kalendis Augusti, hora locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1819.

DISSERTATIO MEDICA

DE

DYSPEPSIA

DE

AVVENTU RUM MUNDI

DE AVVENTU RUM MUNDI

D. GEORGI BAIRD, S. T. P.

SCOTIAE UNIVERSITATIS ALEXANDRI

DE

AVVENTU RUM MUNDI

DE AVVENTU RUM MUNDI

DE AVVENTU RUM MUNDI

DE AVVENTU RUM MUNDI

DE AVVENTU RUM MUNDI

DE AVVENTU RUM MUNDI

TIMOTHYUS CURTIS

DE

DE AVVENTU RUM MUNDI

DE AVVENTU RUM MUNDI

DE AVVENTU RUM MUNDI

DE AVVENTU RUM MUNDI

DE AVVENTU RUM MUNDI

DE AVVENTU RUM MUNDI

DE AVVENTU RUM MUNDI

EDINBURGH

EDINBURGH

1819



THOMAE SHARP, M. D.

COLLEG. REG. CHIR. LOND. SOCIO,

&c. &c. &c.

APUD CORCAGIAM

MEDICINAM EXERCENTI,

HOC OPUSCULUM,

EXISTIMATIONIS ET OBSERVANTIAE

PROPTER PERITIAM VARIARUM MEDICINAE PARTIUM

INVICTAM,

QUAM AMICIS CARISSIMIS NONNUNQUAM PRAEBUIT,

NEQUE MINUS

PROPTER ALIAS NOBILISSIMAS ANIMI DOTES,

QUAE SUMMA OMNIUM ADMIRATIONE EUM INSIGNIERUNT,

LEVE SED SINCERUM TESTIMONIUM,

OFFERT

AUCTOR.

THOMAS SHARP, M.D.

COLLEGE, REG. CHIR. LOND. SOCI.

1790

APUD CORCAGIAM

MEDICINAM EXERCENT

HOC OPUSCULUM

EXISTENTIIS ET OBSERVATIIS

PROPTER PERITIAM VARIARUM MEDICINARUM PANTUM

INVENTUM

QUAM ANTIQVAE CAUSAE NON NEGLECTA PRABUIT

NEQUE MINUS

PROPTER ALIAS VARIAS CAUSAS ANIMI DOTES

QUAE ETIAM OMNIBUS ADMITTITUR ET INVENIUNTUR

INTE SED MINUS INVENIUNTUR

OPUS

LECTOR



# DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

## DYSPEPSIA.

---

SCRIBUNT plerumque medici aut quia remedia certis morbis utilia reppererunt, aut quia aliquid novi et momenti proferendum habent. Me autem confiteor nec nova materia, nec nova remedia; sed leges hujus almae Academiae specimen aliquod ex doctoratus candidatis postulantes, ad scribendum movent. Dyspepsia ideo selegi, morbum non solum intemperatos, sed et studiosissimos, vitamque sedentariam nimis colentes, vexare solitum.

Definitionem hujus morbi verbis sequentibus dedit immortalis ille Nosologus CULLENUS: “ A-  
“ norexia, nausea, vomitus, inflatio, ructus, rumi-



“ natio, cardialgia, gastrodynia ; pauciora, saltem  
“ vel plura horum simul concurrentia, plerumque  
“ cum alvo adstricta, et sine alio vel ventriculi  
“ ipsius, vel aliarum partium, morbo.”

---

### MORBI HISTORIA.

HISTORIAM dyspepsiae accuratam tradere haud facile est, quoniam symptomata ejus raro semet ostendunt ordine adeo regulari ac in aliis morbis solent. Illa, nihilominus, quae saepissime occurrunt, recensere conabor.

Hic morbus anorexia, nausea vomituque aggreditur, cum ventriculo et intestinis flatu distentis. Versus mane anxietas nauseaque frequenter accedunt, iis praesertim liberius coenatis, potisque, proxime antequam decubitus ierint. Quies somniis ingratis interturbata ; lingua sordibus mane oblecta ; sapor oris admodum injucundus est ; saliva solito copiosior, atque spiritus putidum odorem, quantacunque cura hic evitetur, habet. Dyspeptici fere alvo adstricta sunt, quae tamen haud raro diarrhoea molesta, doloribusque colicis alter-



nat. Dejectiones virides, stercora rotunda, indurata, scybala ut vocantur referentia, ostendunt; in quibus expellendis mucus aliquando urethrae simul exprimitur, multum doloris in hac fistula efficiens. Si, hoc in statu, alvus medicamento quovis fortiore recluderetur, aeger maximo languore atque sensu peculiari in abdomine, quod per aliquod tempus postea nonnunquam ambulationem prohibet, afficitur. Progrediente morbo, ventriculi dolor fit gravior; inflatio magis generalis, cum doloribus eodem colicam mentientibus. Ructus acidi, aut amari, rancidi aut putridi, nec raro muci densioris ejectio, hominem moleste habent. Circa hoc tempus, generis nervosi mobilitas mire augetur; adeo ut qui antea mites placidique extiterunt, nunc morosi aut iracundi videntur. Pulsus debilis est, sed plerumque citus debilisque dum palpitationes levissima quavis causa occurrunt. Spiritus redditur frequentior atque difficilior; cutis arida atque pallida; horrores perpetui, ventriculi vacui rosiones quasi, sensus constrictionis et molestiae a gutture infestant. Morbo pro vectiore corpus fit macrum, facies labiaque pallida, vires labuntur, solida relaxantur. Aeger exercitationem aversatur, praesertim post cibum, quo



tempore ingens adest anxietas ; corpus parum laboris ferre valet, atque levissima exercitatione fatigatur. Oculi fiunt hebetes, memoria fallax, ac nisi morbus cursu cohibeatur, anasarca supervenit, quae cum febre hectica vitae miserandi aegroti finem tandem imponit.

---

### DIAGNOSIS.

MORBI quibuscum confundi potest Dyspepsia sunt, *Podagra Atonica*, *Hypochondriasis*, *Chlorosis*, et *Scirrhus Pylori*.

*Podagra Atonica*.—Ut dyspepsia primaria ab illa distinguatur secundaria, cui podagræ obnoxii sunt, inquirendum imprimis in eas res, quae praecesserint ; an morbus diu duraverit, an subito supervenerit ; podagrae accessu praegresso ; an aegro podagra vitium sit haereditarium ; qui corporis ejus habitus sit, aetas, sexus ; quibus cognitis, diagnosin proferre poterimus.

*Hypochondriasis*.—Hypochondriaci plerumque temperamento melancholico sunt : his solida rigida sunt, pili crassi, vasa minus fluidis plena : Dy-



speptici contra temperamento sanguineo sunt, facie florida, pilis mollioribus : vasa humoribus distenta sunt, et valde irritabilia.

Hypochondriacus colore livido est, stimulantibus nisi plusquam mediocribus parum affectus, animus misere despondet, constantiam ad incepta nullam habet, sed maximum ex insolito quovis in corpore sensu periculi mortisque timorem. Hac autem re maxime discrepant, nempe, hypochondriacus se melius post prandium habere sentit, et sic melius adhuc deinceps ad horam decubitus usque, dum dyspepticus anxietate *praecipue post prandium* afficitur : in hypochondriasi quoque alvus semper adstrictissima, dum in dyspeptico homine haud raro diarrhoea occurrit.

*Chlorosis.*—Signa hunc a dyspepsia discriminantia sequentia sunt. Priori corpus tumore molli occupatur, qui morbum ab initio usque insequitur ; sed raro dyspepsiam comitatur, nisi aliquando versus finem. Chloroticae desiderium rerum, veluti cretae et similium, non esculentarum, singulare indulgent : menses iisdem retenti sunt. Quod ad pallorem aut decolorationem cutis, venasque minus plenas, virium defectum, caeteraque similia



pertinent, haec nulli diagnosi inservire possunt, frequentissime enim in utroque morbo occurrunt.

*Scirrhus Pylori.* — Hoc in malo dolor magis fixus est, cum sensu caloris in ventriculo; vomitus post cibum plerumque supervenit; dolor epigastrii pressu percipitur, et hoc plerumque tumidum est; atque ii hoc morbo affecti quam dyspeptici pallidiores esse dicuntur.

---

### CAUSAE REMOTAE.

Ex plurimis quae hunc morbum inducunt causis, *Liquores tam vinosi quam ardentes, Opium, Thea, Caffaea, Tabacum, Studium nimis intensum*, praecipua jure habentur.

*Liquores ardentes et vinosi.* — Experientia quotidiana manifeste docet, effectus intemperantiæ in his liquoribus funestos. Inter mala quae superinducere prona est, sunt apoplexia, paralysis, tremores, mania, podagra, aliaque, nimis multa ut sigillatim nominarentur. Quod ad eorum effectus in morbo nostro, notamus, quod ii qui sibimet intemperate indulgent, non amplius sunt validi, sani,



appetitu optimo praediti, sed fiunt imbecilli; anorexia, tremoribus, nec raro paralysi laborantes, et cito etiam morbo de quo sermo est afficiuntur.

*Opium.*—Hujus medicamenti continuatus usus dyspepsiam inducit; vigorem enim organorum concoquentium laedit, anorexiam, debilitatem generalem, et vis musculosae diminutionem inducit.

*Thea.*—Usus theae omnibus, *sed praecipue imbecillibus*, nocere invenitur. CULLENUS celeberrimus experimenta quaedam in infusum hujus plantae instituit, ventriculoque noxium esse reperit. Verba ejus proferam. “I have a stomach, very  
“sensible, which I found to be hurt by tea, which  
“I attributed to the warm water; but having used  
“some indigenous plants with the same heat of  
“water, I found no harm ensue, and this I have  
“repeated above fifty times \*.” Dr LETSOM quoque plurimis experimentis theam viridem principium odoratum valde soporiferum, et ex distillatione procurandum, habere probavit. Experimenta ejus nimis multa sunt, ut hic recenserentur; conclusiones tantummodo recitabo. “From  
“these experiments, the sedative and relaxing effects of tea appear greatly to depend on an odo-

---

\* Vide Culleni Mat. Med. p. 305.



“ rous fragrant principle, which abounds most in  
“ green teas, particularly the highly flavoured.  
“ This seems further confirmed by the practice of  
“ the Chinese, who avoid using this plant till it  
“ has been kept at least twelve months, as they  
“ find it possesses a soporiferous and intoxicating  
“ quality when recent \*.” Etiam frequentia dyspepsiae in temporibus recentioribus, atque post theam in usum introductam, proprietates ejus noxias confirmat.

*Caffaea* eosdem sed minus violentos quam thea producit effectus ; sed alvi dejectiones suppressere dicitur, quod saepe dyspepsiam inducit.

*Tabacum*.—Vires hujus plantae stimulantes, dein narcoticae manifestae sunt. Organorum cuivis admotum vehementer stimulat. Naribus pulvis ejus muci magnum fluxum provocat. Ore salivam multam folia ejus eliciunt ; manuum tremores, anorexiam, memoriae jacturam, etiam nonnunquam paralysin inducit. Non desunt qui mala ab hac planta profluentia ad salivae jacturam inde factam, potiusquam vires ejus narcoticas referre velint. Sed meminisse oportet effectus ejus induci ubi nullus

---

\* Vide Letsom Exper. p. 41.



salivae fluxus fuerit, ut si quis pulverem multum inhalet, magis etiam si portio hujus in ventriculum descendat; quam rem anorexia, aliaque dyspepsiae signa subsequuntur.

*Vitae genus studiosum et sedentarium.*—Homines doctrinae cupidi, aut vitae genere aut occupatione sedentarii, veluti sartorii, sutores similesque, huic morbo pronissimi existunt. Longus et animi attentio vehemens, aliisque ex causis remotis adjuvantibus, dyspepsiam plerumque inducunt. Locum ex Tissot ad rem pertinens rescribam: “Duae existunt scaturigines principes, unde omnia studio-  
“rum mala fluunt, assidua scilicet animi exerci-  
“tatio, atque assidua corporis quietudo. Haud  
“minus enim ignavi sunt corpore, quam animo  
“actuosi\*.” Plurimae aliae sunt res, ac ventriculi onus inutile, stimulorum solitorum *subita jactura*, somni aut excessus aut defectus, Venus nimia, quae optimo jure inter causas remotas recensentur; omnia enim morbum de quo agitur inducere tendunt.

---

\* Vide Tissot de Morb. Studiosorum et Sedentarium, p. 16.



---

### SIGNORUM RATIO.

**ANOREXIA.**—Appetitus a succi gastrici conditione salutari, tam quoad quantitatem, tam quoad qualitatem pendere apparet. Hic succus, dum fibrae ventriculi vigent, semper sanissimus est; si vero debilitatae fuerint, hic processus naturalis mutatur, atque anorexia, nec raro nausea vomitusque insequuntur. Haec tantum gradu inter se discrepant, atque motu ventriculi inverso efficiuntur. Eo tamen inter se differunt, quod nausea sola fibrarum ventriculi inversa actione produci-  
tur; vomitus autem, conjuncta ventriculi, diaphragmatis et abdominis musculorum actione, quares in ventriculo quasi in prelo comprimunt, atque per os ejiciunt.

*Inflatio.*—Ingens acris copia in omnibus nostris alimentis inhaerens inter concoctionem liberatur; sed in statu ventriculi sano, non evolvi, sed absorberi creditur. Cum autem ventriculus debilitatus fuerit, hanc vim amittit, atque hinc cur a flatu in dyspepsia tam misere vexamur videtur. Clarissimus JOANNES HUNTER ventriculum sub morbo



acidum quoddam, necnon aëra generare posse credidit\*.

*Ructus.*—Eructationis in dyspepticiis causa satis manifeste est. Aër ille acidus cibo evolutus, neque ut in sanitate absorptus, ventriculum irritat, motumque ejus peristalticum invertit, ideoque cardiam patefacit, quo tempore aër per oesophagum ex ore ruit.

*Ruminatio.*—Portio cibi nostri solidae in succo gastrico non rite solutae, cardiam irritat propter motum stomachi inversum, atque hac patente per fauces in os transit.

*Cardialgia.*—Ardoris apud cardiam sensus perceptus, a materia acida in ventriculo genita oriri creditur; quae acida materia ob cibi moram nimis diuturnam atque acidam quam subit fermentationem, quod praecipue in scirrho pylori affectis accidit, formari apparet.

*Alvus adstricta.*—Talis existit consortio inter ventriculum et intestina, ut motus illius tardus altero facillime communicatur; sic in morbo praesenti fibrae ventriculi musculosae vigore proprio privatae sunt, ideoque alimentum lentius per pylorum in duodenum propellitur; quam ob causam

---

\* Vide Animal Oeconomy, p. 164.



motum proprium peristalticum non excitat. Haec virium jactura paulatim portioni inferiori intesti-  
norum communicatur; quo facto, obstipatio quae  
sequitur facile explicari potest.

---

### CAUSA PROXIMA.

Ab innumeris fere experimentis clare demon-  
stratum fuit, ventriculum fluidum secernere suc-  
cum gastricum dictum; porro, hunc succum esse  
qui cibum in ventriculo receptum solvit; quique  
ventriculum ipsum, ni vis vitae obstaret, solvere  
valeret \*. Hoc plurimae dissectiones eorum qui  
sanissimi subitae forte morti occubuerunt; eorum,  
exempli gratia, ictu capiti impacto extingtorum,  
necnon in suspensio quodam. Illorum corpori-  
bus patefactis a JOANNE HUNTER, partes ventricu-  
li ipsius semirosas et solutas reperit. His experi-  
mentis rite perpensis, nulla restat dubitatio, quin  
succus princeps sit instrumentum in concoctio-

---

\* Vide Animal Oeconomy.



ne. Hujus morbi causa proxima consistit in defectu aut copiae aut qualitatis succi gastrici, vel in debilitate aut relaxatione fibrarum stomachi musculosarum. Ex his alterutra, aut per se aut altera conjuncta, causam proximam constituere apparet\*.

---

### PROGNOSIS.

NUNQUAM hoc in morbo desperandum est, modo cura idonea, causis remotis evitandis, adhiberi possit. Quod mirum videatur, malum saepe diu stat sine ulla signorum aggravatione aut remissione. In morbo ipso nullum fere periculum, maxime cum juvenes et vigentes adortus est; attamen, si aetate proveciore accedat, nec idoneis remediis cedat, sed potius aggravatur, tum aliorum morborum, magis timendorum, ut hecticæ, anasarcae et cachexiae generalis aggressum timemus. Haec enim, ut antea diximus, miserae vitae finem imponunt.

---

\* Vide Culleni Prim. Lin. p. 41.



---

### MORBI CURATIO.

INTER omnes de hac re auctores convenit, diaeta idonea, causisque remotis evitandis, quam ulla vi medicamentorum plus fidendum esse.

*Regimen.*—De nulla re disputant medici magis quam diaeta dyspeptici idonea. Nonnulli omnes carnes et carnosae omnino devitant, dum alii solam refectionem et valetudinem ab hac pendere autumant. Veritas fortasse in medio ponatur. Nam dyspepsia saepissime a mala fermentatione ciborum in ventriculo exoritur, aut fovetur; atque quoniam res vegetabiles *omnes* facillime in fermentationem acidam ruant, sequitur ut diaeta, qua his solis aegri utentur, exclusa carne, ad id vitii pronissima existat. Contra experientia invenimus carnes hanc fermentationem vix aut ne vix quidem subire; ideoque hoc saltem incommodo cavere. Haud ita facile dijudicatur controversia de faciliore carnis olerisque concoctione, quoniam et experientia et auctoritas diversorum medicorum vehementer pugnant. Opinio tamen et praxis



hodierna ad carnem inclinare apparet. Sed haud raro carnes omnes etiam levissimae, insigne fastidium, vel etiam vomitum gignunt; et in talibus satis erit monuisse, ut quidcunque ventriculum ingrate movere sentiant, evitetur. Si tamen necessitas vel desiderium carnis edendae sit, elixa aut assa recenti, et ex eo genere animalium quod ventriculum suum melius ferre experientia docuit, utantur: contra, oleosa, infumata, arida, salita, butyracea, bellaria omnigena fugienda sunt.

Quod ad potum attinet, vinum et omnia vinosa melius omittuntur. Sin aliquod hujusmodi, propter malam consuetudinem, necessarium factum sit, alcohol, aqua sed sine saccharo dilutum, ei substituat.

CULLENUS tria consilia praescripsit; scilicet, prophylacticum, mitigatorium, sanativum.

I. Causas morbi remotas aut excitantes evitare aut tollere.

II. Signa quae morbum maxime aggravant aut perpetuant remove.

III. Ventriculi vigorem restituere; hoc est causam morbi proximam corrigere aut submovere.

Prima indicatione causas remotas evitare aut tollere suademus. Quoniam vero has jam supra dixi-



mus, hic denuo iterare inutile esset ; ut quam maxime evitandae sint, alioquin conatus nostri ad curationem impotentes, monuisse sufficiat.

Secundo consilio satisfacere poterimus, si signa molesta removeantur, ut anorexia, vomitus, cardialgia, gastrodynia et obstipatio.

*Anorexia.*—Excitatio quam emetica ventriculo communicant, haec in multum usum vocavit, ut appetitum augerent. Ea praesertim usurpantur quae mite agunt, ut ipecacuanha, cujus operationem adjuvare sive aqua tepida, sive infuso anthemidis nobilis hausto, aegrum oportet. Vomitoria nonnunquam administrata utilitatem certe praestant, cruditates ventriculo ejiciendo, ipsum ad actionem incitando, humoresque ad superficiem dirigendo. Nonnulla ex praeparatis antimonii magnopere utilia sunt in his consiliis peragendis ; sed propter magnam imbecilitatem in dyspepticiis, et gravem suam operandi rationem, rarius quam ipecacuanha exhibentur. Nisi consilium supra dictum valde urgens sit, nimis temere vomitoria exhibere minime decet ; repetita enim stomachi vim debilitare solent, motumque ejus facile, vel levissimis causis invertendum, proclivem dant.

*Vomitus.*—Si hic sponte occurrat, potius faven-



dus est, aut aqua tepida aut infuso anthemidis nobilis hausto. Verumenimvero, si eousque processerit, ut terreat, opio, intrinsecus dato, aut super ventriculi regionem adhibito, aut epispastico, vel hausto effervescente sedandus erit. Quin enema anodynum saepe cum alia aut incommoda sunt aut inefficacia remedia, vomitum necnon dolores ventriculi potenter cohibebit.

*Cardialgia.*—Indicium hoc molestum, ut antea diximus, cruditatibus acidisque in ventriculo exoritur; ad haec proclivitatem corrigere diaeta nutriende, facile concocta, utendum erit. At si jam adest acor ventriculi, temperandus est absorbentium usu. Horum optimum magnesia est, quae quidem acido se conjungit, salemque mediam constituit. Hic alvum leniter aperit, ideoque obstipationem hujus morbi, plerumque ingratissimam comitem, solvit. Aqua ammoniae aliquando nec sine fructu usurpetur, et aqua calcis quoque; sed ob parvam calcis copiam hac aqua solutam, effectus ejus potius ab viribus ejus corroborantibus et astringentibus, quam ab acido ventriculi saturato.

*Gastrodynia.*—Causa hujus indicii spasmus est ventriculi, ideoque ad ea confugiendum erit remedia quae affectus spasmodicos solvere credimus.



Ex his experientia moschum, camphoram, aetherum sulphuricum et opium usui commendavit, praesertim opium, quod omnium antispasmodicorum quae habemus potentissimum est, et etiam oxydum bismuthi utile adhibitum fuisse dicitur.

*Alvus adstricta.*—Haec dyspepsiae comes est valde generalis; paucissimi quidem aegri non obstipatione laborant, licet diarrhoea alios nonnunquam afficiat. Medicamenta obstipatione aptissima laxantia sunt, ita exhibita ut alvum laxam conservent; nec tamen nimium, quod torpor ex necesse subsequitur, ob debilitatem ejus inducunt. Medicamenta vulgo usurpata sunt pulvis jalapae compositus, pilulae rhei compositae, pilulae aloës et myrrhae, et pilulae aloës cum colocynthide. Hae quidem optimae ad obstipationem prohibendam apparent, et maxime in usu sunt. Pilulae rhei compositae iis exemplis quibus diarrhoea recurrere tendit, accommodantur, quum ex qualitate ejus astringente diarrhoeam supprimit, simulque ex qualitate ejus cathartica intestina evacuet. Vis roborans vigorem fibrarum moventium augeat; sed in obstipatione solita haec proprietas effectibus ejus vehementer astringentibus non compensat. Optima hanc affectionem superandi



ratio, est, alvum quotidie, tempore statuto, ut hora post jentaculum, sollicitare, pilulis subinde colocynthidis administratis. Exercitatio quoque in aëre aperto valde prodest, haud ita tamen ut fatigationem superinducat. Si his per aliquod temporis perseveratum sit, nullus dubito, quin brevi hoc signum vincamus. Pilulae haudquaquam frequenter adhibeantur; CELSUS enim bene notavit. “*Sed purgationes, quoque ut interdum necessariae sunt, sic ubi frequentes sunt periculum afferunt.*”

Ad tertium nunc reditur consilium, quod ventriculum vigori suo restituendum suadet. Medicamenta hic utilia, roborantia dicta, aut protinus in ventriculum ipsum agunt; aut indirecte, aliorum scilicet organorum interventu. De utrisque ordine agetur. Roborantia plerumque usurpata amara existunt, ut cinchona officinalis, quassia simarouba et excelsa, colomba, gentiana, aristolochia serpentaria, anthemis nobilis, quibus, ut stomacho gratiora reddantur, aromatica conjungi solent. Metallica quaedam ventriculum optime roborant, praesertim carbonas ferri, sulphas ferri ruber, tinctura muriatis ferri. Quum vero ferrum in dosibus parvulis, largeque dilutis, prodesse videatur, aquae chalybeatae minerales formula ejus



praestantissima sunt. Aquae gase carbonico acidulae, ventriculum grate roborant; sales, si adsint, alvum relaxant. Hae utilissimae qualitates, cum loci, aëris, et oblectamentorum mutatione, fontes medicinales dyspeptico utilissimos reddunt.

Ex remediis ventriculum indirecte roborantibus, per corpus scilicet universum, sunt exercitatio, mentis hilaritas, frigidarium. Vix ullum efficacius adhiberi remedium quam exercitationis usus temperatus. Genus nervosum corroborat, sanguinem aequaliter per totum corpus diffundit, secretiones et excretiones etiamsi morbide diminutas auget, calorem per universum corpus diffundit. Nullo modo beneficium hujus remedii commodius videre possumus, quam si omnes has functiones ut sanitati necessariae sint rite consideremus, atque exercitationis defectus has molestissimas sequelas plerumque producet.

*Animi exhilaratio.*—Animi demissio aut molestia semper dyspeptics diligentissime evitandi sunt. Morbum plerumque focillant et exasperant; atque aegri de omnibus cogitationibus de morbo suo abstinere, hilaribusque amicis saepe miscere, mentem in occupationem amoenam aliquam attendere debent. Hujusmodi est horti cultura, quae



animum et corpus motu quodam exercitat, librorum jucundorum lectio, sed non nimis diuturna : omnia haec ad curationem utilia reperientur.

*Frigidarium.*—Quum de magno consensu qui inter vasa summae cutis extrema, et ventriculum in animo cogitamus, nullum erit dubium, quin quodcunque vigorem his vasculis tribuat, ventriculo quoque eundem conciliabit. Hinc effusio frigida prudenter administrata, potentissimus est modus ventriculum roborandi ; sed non omni tempore utilis erit, atque praesertim ubi maxima debilitas sensusque frigoris existit. His in exemplis balneum tepidum potius adhiberi, et temperiem paulatim reducendo, corpus tandem aquae frigidae beneficiis aptum reddatur. Quum frigida corpori convenit, rubor superficiei supervenit, quem calor madorque cito excipiunt ; appetitus augeatur, mens exhilaratur, atque valetudo generalis augetur. Contra, ubi balneum haud respondet, pallor est, vasorum in superficiei constrictio, horrores, nausea, animus demissus ; talibus a balneo temperetur, donec corpus fiat magis confirmatum ; quo facto, et aegro conveniet, et remedium praestantissimum invenietur.







